

*Beatus dives, qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris: quis est hic? Et laudabimus eum, fecit enim mirabilia in vita sua, quasi dicat: Miraculum est iste. Nam indicat primo, divites plerumque abire post aurum, hoc est, cupide et avare querere, velut mancipia sequi, necnon per fas et nefas ad se rapere, sicut pisces escam hami, sicque eo capi. Aliud est, si divitiarum te sequantur: aliud, si tu illas sequaris. In hoc te bonum esse non credo, in illos libens concedo. Secundo, indicat eos plerumque sperare in thesauris, unde incipiunt insolescere, et neminem curare, velut suo thesauro ita vallati ac communiti, ut omnes alios ridere possint: sicut arx inexpugnabilis spernit et ridet hostes. Hinc S. Augustinus, serm. V. de verbis Domini ait: *Vermis divitiarum est superbia*. Et sicut rara poma inveniuntur, quæ non aliqua saltem parte a vermibus arrosa sunt, ita raridivites immunes a superbiæ verme. Propterea apostolus I. Timoth. VII. scribit: *Divitiis præcipe, non superbe sapere, nec sperare in incerto divitiarum*. Innituntur enim lubrico fundamento, ubi facilis lapsus est.*

V. Putant in feminarum crebro commercio, collusionem et convictu, se castos esse posse, non secus ac inter viros. Quid tu ad hoc, Joannes? Non credo, inquit. Idcirco enim ad silvas et feras, ac denique in carcerem potius abiit, quam ad aulam Herodis, ne saltantem ibi puellam et Herodis pellicem aliamve feminam viderem. Consentit illi Sapiens, Prov. VI. dicens: *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta ejus non ardeant? Aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cum tetigit eam*, quasi dicat: Miraculum erit, si castus manserit; uti confirmat S. Bernardus, ser. LXV. in Cant. cum ait: « Cum femina semper esse et non cognoscere feminam, non plus est quam mortuum suscitare. Quod minus est, non potest; et quod majus est, vis ut credam tibi? » Quasi et ipse dicat: Non credo, non credo. Exemplo est Jacobus eremita sanctissimus; qui ubi puellas sensim admisit agras in cellam, ac curavit, tandem in fornicationem lapsus est, uti notum.

VI. Arbitrantur se inter pocula et dapes lautissimas, in continuis ac splendidis conviviis sine periculo versari, temperantes esse ac salvari posse. Sed Joannes ait: Non credo; propterea enim ipse non aliis cibis usus legitur, quam locustis et melle silvestri. Vinum et siceram non bibit, sicut angelus de eo prædixit, sed aquam dumtaxat. Mel silvestre a silvestribus apibus in arboribus vel petrarum scissuris confectum, in-

grati et amari saporis est, teste Euthymio et Isidoro Pelusiota. Nihil ergo comedit vel bibit Joannes, quod gustum delectare gulamve irritare posset; sed quæ nauseam potius et horrorem parent. Vidit enim quam difficile sit in deliciis mensarum sobrium et castum esse, audire Dei monita et pia cogitare. Scivit epulonem illum ideo damnatum, quia epulabatur quotidie splendide, et hinc in alia peccata devolvebatur quasi necessario. Qua de causa Moyses de monte Sinai descendens, cum videret populum convivio indulgentem et vitulum erectum, iratus abiecit tabulas legis et confregit ad radicem montis? S. Hieronymus exponit causam, quod cum populo proponere et inculcare legem Dei in tabulis scriptam, deberet, actum se acturum videret: quia gula servientes nequaquam capaces legis essent: *Frangit audacter tabulas Moyses*, inquit, *sciebat enim sermonem Dei audire non posse temulentos*, quasi diceret Moyses Deo: Putasne legem tuam ab istis audiendam et servandam? Non credo, non credo. Libido, chorea, ludi, rixæ ab istis expectandæ sunt, sicut contigit: *Sedit enim populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere*, Exod. XXXII. Qualis iste ludus fuit? Rabbini illud ludere exponunt fornicari, pro quo verecundiæ causa ponit S. Scriptura *ludere*, ut sentit Tertull. l. de jejuniis. Quid enim delicatus cibus ac potus nisi ingluviem, quid ingluvis illa nisi Venerem parit, dum fomenta ei subministrat? Qualis iste ludus fuit? Chorus et saltatio vitulina circa vitulum. Saturatus enim venter incipit saltare et luxuriari, ut vel in pecoribus patet. Qualis fuit ludus? Rixæ et contentiones; quod videtur indicare textus, dum ait: *Sedit populus manducare, et surrexerunt ludere*, quasi concordēs sederint, discordēs surrexerint: sederint quasi unus, surrexerint quasi plures. Qualis denique ludus, nisi idololatria? Eo ergo talia ventris mancipia deveniunt, ut deus illorum venter sit, teste apostolo ad Philipp. III. Huic erigunt altaria, mensas omni deliciarum genere instructas, sacrificia sunt epulæ: vel ut Tertullianus contra Psychicos ait: *Templum est pulmo, aqualiculus altare, sacerdos coquus, Spiritus sanctus nilior, condimenta charismata, ructus prophetia*. Deo igitur vero servire aliquis possit, qui huic Deo servit? Non credo, non credo.

Quid ergo tandem credis, Joannes, de hominibus? Si a teneris incipient studere pietati, erunt ne boni deinceps? Respondet: Credo. Si pravos socios fugiant, vestium luxum aversentur, philargyriam, feminarum commercia, delicias vitent, eruntne inter electos? Credo credo: alioquin minime credo.

## CONCIO III.

## QUATUOR POTISSIMUM IGNES NON EXCITANDI.

I. Elapsus post baptismum. — II. Cupiditas divitiarum. — III. Dissensio et discordia. — IV. Impietas.

## THEMA.

*Factus est timor super omnes vicinos eorum.*  
Luc. I.

Venerabilis Beda refert, libro III. hist. c. IX. Anglum quemdam Fursæum nomine, nobilem generem, sed nobiliorem æde, in ægritudine, jam depositum et pro mortuo habitum, deductum fuisse ab angelo ad spectanda inferorum loca. Interea, dum pro ipsum pugnat angelus contra malignos spiritus, jubet eum respicere mundum. « Tunc vir sanctus respexit et vidit vallem tenebrosam, sub se in imo positam, et vidit quatuor ignes ibidem in aere aliquibus spatiis a se distantes. Dixitque rursus s. angelus: Qui sunt hi ignes? Vir Domini se nescire respondit. Cui angelus sanctus dixit: Hi sunt quatuor ignes qui mundum succendunt, postquam in baptismo homini omnia peccata dimittuntur per confessionem et abrenuntiationem diabolo et operibus ejus et pompis. Unus est, mendacii, cum hoc quod in baptismo abrenuntiare Satanae et omnibus operibus ejus promiserunt, minime implent: alter, cupiditatis, cum mundi divitiis amori celestium præponunt: tertius, dissensionis, cum animos proximorum, et in supervacuis rebus, offendere non formidant: quartus, impietatis, cum infirmiores spoliare et eis fraudem jacere pro nihilo ducunt. » Ignis vero crescens in majus, effectus est unus, et illi appropinquabat; timensque ignem minacem, sancto angelo secum loquenti ait: Ignis mihi appropinquat. Cui respondit angelus: Quod non accendisti, non ardebit in te. » Tunc vidit angelum præcedere et ignem dividere, quem ipse secutus, sine damno transiit. Solent hodie passim ignes accendi ad publicam lætitiæ et honorem, ut opinor, S. Joannis, qui fuit *lucerna lucens et ardens*, necnon prænuntius veræ lucis, Christi. Non vitupero hos ignes, si hac intentione fiant. Sed video cum S. Fursæo, quatuor illos ignes in mundo adhuc ardentes, et in homines quam plurimos dire grassantes, indeque in gehennam misere desilientés. Hos igitur extinguere hodie conabimur, vel saltem cavere, ut ne ex nobis aliquis in eos desiliat.

I. Primus, est relapsus post baptismum in peccatum mortiferum, qui est gravis quedam perfidia in Deum commissa, contra fidem ipsi in bap-

tismo datam, designatus per illum ignem, ad quem se calefaciens Petrus, Christum negavit, Luc. XXII. Cum enim Christianus post baptismum, qui est mors peccatorum, iterum ad peccata redit, Christum quasi cum Petro contra factam sponsonem negat, et ad hostem ejus transfugit. In baptismo enim renuntiavit Satanae et pompis ejus, Christoque se addixit in perpetuum. In cujus rei judicium veste candida indutus est, quam olim septem diebus, qui totum vitæ decursum designant, gestare oportebat: deinde, nomen ejus catalogo baptizatorum, quasi militum Christi inscriptum est: denique, ex antiqua consuetudine, post depositas vestes candidas, agnum Dei cereum accepit, ut moneretur Christi innocentiam conservare, et præ oculis semper habere, ut refert Baron. anno 692. Pisces reperiantur, qui in aquis licet nati, in terras tamen egrediuntur, apud Maiol. tom. I. canieul. coll. IX. similes Christianis, qui ex aquis baptismi renati, in eodem lavacro pure ac sine labe vivere deberent: voti tamen sui obliti, in terram et terrena studia se effundunt. Statuæ solum Christianorum, non veri Christiani sunt, qui post acceptum baptismum non vivunt christiane, nec implent quod promiserunt. Propterea uxor Lothi in statuam salis versa est; quia postquam e Sodomoeducta fuit, iterum retroscepit, quasi derelictam impiam civitatem cupiens repetere, Genes. XIX. Sal ex aqua gignitur, uti Christianus ex baptismo. Salis ergo statua, non verus sal est Christianus, qui postquam per baptismum eductus est ex perditione gentilitis, vivit adhuc more gentilitium. Hebræi etiam quando ad Egyptum ejusque ollas carneas cœperunt respectare, Deum ad iram concitarunt, ejusque gladium in se acurrunt, et ignem excitarunt, quo innumeri consumpti sunt, Num. XI. vers. XXXIII. Sic et Christiani, si post baptismum vitiiis se rursus dedant, accedunt sibi ignem inferni, nisi poeniteant: vel si poenitentiam agant, saltem purgatorii aut similitum plagarum in hac vita; quas vitare possent, si baptismi gratiam retinerent. Perfidus est servus, qui fidem domino dedit, nec tamen eum custodit: id quod David exprobrat servo Saulis Abner, principi militæ Saulis: *Numquid non vir es tu?* I. Reg. XXVI. Simili modo deridebuntur in inferno a dæmonibus perfidi Christiani, qui nomen Christo dederunt, nec tamen ei servierunt, nec gratiam ab eo acceptam in se custodierunt. *Numquid non viri*, numquid non Christiani estis vos? Et ubi Dominus vester, quem deseruistis?

II. Secundus, est cupiditatis, quo divitiarum hujus mundi amori celestium præponuntur. Grassatur



ignis iste per totum fere mundum, estque insatiabilis, quemadmodum et : *Ignis nunquam dicit : Sufficit*, Prov. XXX. Accedit S. Basilius, hom. in varia Script. loca : « Avarus, inquit, igne vehementior est, omnia continuando finibus suis occupat : ea quæ sunt vicini, sibi aufert. Mox ubi alium sortitur vicinum, et quæ illius sunt, ad se rapit. Non ea quæ retro sunt attendit, sed quæ ei desunt, quæ ante se prospicit, a vicinis possessa, desiderat. Non ob ea quæ possidet, lætatur ; sed ob ea, quibus caret, angitur. » Exemplo est Achab rex, qui capere quietem non potuit, donec vineam Naboth, sibi vicinam ad se raperet, III. Reg. XXI. Et quemadmodum pueri hodierna die ligna ad focum excitandum cantu commendicant, ita et avari, quasi mendicando, de paupertate sua queruntur ut plures nummos conquirant, quod exemplo illius Achab ostendit S. Ambrosius, lib. de Naboth, c. II. in illa ejus verba : « Da mihi vineam tuam. Quæ alia vox stipem publice postulantis, nisi : Da mihi ? Hoc est : Da mihi, quia ego : da mihi quia aliud vivendi subsidium habere non possum, etc. » Et quemadmodum pueris illis non dantur ligna, nisi fere inutilia, distorta, putria : ita et avari vilissima tantum bona ambiunt et sectantur, qualis est pecunia, a Deo in visceribus terræ abscondita, ideoque nec inter creaturas Dei a Moyse commemorata. Proinde videntur avari facere, quod canes, qui domum aliquam ingressi, pretiosa omnia negligentes, ossa dumtaxat, quæ in angulis domus et sub mensis abscondita jacent, et sordes inquirunt, ut de illis dictum videatur in Ps. XVI. *De absconditis tuis adimpletus est venter eorum*. Ad hæc, sicut lychnus ardens nutritur oleo idque ad se trahit undique, qua contingere potest, sed tandem igne suo et ipse consumitur : ita avarus ardens cupiditate, ad se quæcumque potest, trahit : interim tamen seipsum exedit curis et anxietatibus, uti pulchre describit S. Basilius, loco supra citato. « Judex expectatur, inquit, et avarus cogitat, ne in jus trahatur, ne orphanus suas lacrymas in foro palam faciat. Nocte consultat, quomodo mane acerbos advocatos quosdam sibi præparet ; quomodo persuasa testimonia conducat ; quomodo et potentiam prævalendo et in judicio mentiendo pauperem destitutum ac solitarium opprimat, et utrosque expugnet, et judicem decipiens, et pupillum circumveniens. Ejus animus continuo hæc curæ mordaces absumunt. Canis latrat, avarus putat furem esse. Mus forte perstrepat, et avari cor salit, quemlibet vel puerum suspectum habens. Filios jam grandes ut insidiatores aspicit, quod eorum jam ætas successionem expetere videtur. Quin avaro aliud oritur incom-

modum. Vitam victumque suum in digitis expendit : ex opibus alias palam, alias vero clam habet, ad spes incertas seponens : spes, inquam, non spes. » Sic ille. Unde bene Ecclesiasticus, c. XIV. dixit : *Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis, non satiabitur, donec consumat arefaciens animam suam, curis scilicet et sollicitudinibus*. Hugo tamen exponit, quod arefaciat animam suam, curis exsiccando velut ligna, ut aptus fiat ad incendium gehennæ, juxta id Isa. XXXIII. *Spinæ (divitiarum) congregatæ igni comburentur*.

Denique, sicut pueri a foco hodierno nihil prorsus emolumenti capiunt (neque enim se calefaciunt, neque aliquid coquunt aut cudent), nisi quod ipsum transilire pro delectatione habeant, etsi sæpe suo damno, dum se aut vestes adurunt ; ita et divites nihil fere utilitatis capiunt e nummis suis, nisi quod eos aspicere et numerare gaudent. Quis ergo ignem hunc avaritiæ non futilem et inanem dicat ?

III. Est dissensionis, quo proximorum animi in rebus etiam supervacaneis offenduntur ; qui animi in rebus per ignem, quem inter colligatarum vulpium caudas ligavit Samson, quo et agros ac vineas Philistinorum, dispersis undique vulpibus, incendit ac vastavit, Judic. XV. Sic nimirum discordia inflamat mutuo odio nos, quorum capita in contrarium nituntur, et maximam, non solum inter ipsos, sed etiam in republica et communitate stragem edit, dum amicos partim eodem igne involvit et in factiones distrahit. Unde sicut ex unius domus incendio ignis sæpe integram plateam aut urbem totam invadit ; ita duorum discordia sæpe totam communitatem corripit et disperdit : quemadmodum factum a Guelphis et Gibellinis olim in Italia, ut proinde *ignis involvens*, qualem vidit Ezechiel, c. I. § IV. appellari possit discordia, quia plurimos involvit. Duo illi infantes, Jacob et Esau, in utero matris inter se collisi et quasi rixantes, tantos matri dolores fecerunt, ut diceret : *Si sic mihi futurum erat, quid necesse erat concipere ?* Genes. XXV. Non minus angustiatius mater nostra Ecclesia ex discordiis filiorum, ita ut optare possit potius sterilitatem, quam tales filios.

Deinde, ignis, quidquid corripit, vastat et devorat, quod non fit in aliis elementis. Aquarum enim inundatio, quod uni adimit, alteri dat : terra solum sepelit : ventus alio transfert, aut ad summum frangit. Sic et discordia prorsus omnia devastat, etiam ipsos dissidentes, ut vere eis prædici possit id Osee X. *Divisum est cor eorum ; nunc interibunt* : sicut lapis thyrrhæus, qui integer natat, diversus mergitur, teste Plin. lib. II. c. CVI. Intellexit hoc et docuit suum ducem

Nicolaus, Frederici Saxonis morio. Cum enim fratres inter se agerent de dividenda inter se regione, veste principis indutus, in consessum procerum venit, et Fridericum an placeret, interrogavit. Laudante eum duce, in cubiculum exivit, et forfice vestem dissecuit : mox alteram partem indutus, principi se obtulit, et num jam etiam placeret, rogavit. Principes et factum ejus virgis coercendum minantur : *Ut libet*, ait ille Friderico, *modo et te virgis cadam, qui regionem tuam pulchriorem hac veste dilacerare conaris*, Caussin. lib. III. symb. Sentit hoc patria nostra, cum hæresin admisit, e qua fæda Germaniæ dilaceratio et utriusque partis enervatio secuta est.

Ad hæc, dum ignis in domos grassatur, adsunt interim fures sæpe, qui domos expilant. Sic dum duæ partes inter se litigant, sæpe hosti in prædam cedunt : non secus ac navis in tempestate, si vectores inter se dissideant, fluctibus hauritur. In Monomotapa, superiori sæculo, leo bubalum insecutus est : bubalus ad mare currit ; ibi a crocodilo in littore mordicus comprehensus, dumque inter se colluctantur, leo insecutus advenit, et bubalum pede correptum sternit, simulque crocodilum rostro bubali inhaerentem e mari eicit : qui collapsus ventre rupto, crepuit. Sic leoni ambo in prædam cesserunt. Refert P. Nicolaus Godignus (olim meus in theol. professor) in vita p. Gonsali Sylveria, l. II. c. VIII. Idem multis contingit ; et habemus certe quod oremus, ne idem sentiat patria nostra, dum dissensione principum inter se depugnat, ne, inquam, leo ille Turcicus adveniat et dissidium dirimat. Denique, sicut ignis, ubi semel invaluit, difficillime extinguitur, ita et discordiæ præsertim inveteratæ : adeo ut deprehensæ sint, quandoque inter mortuos etiam durasse : non secus ac inter pellem pantheræ et hyænæ, lupi item et agni, e quorum pellibus si tympana, vel intestinis fides fiant, nunquam coherent. Mirum hujus rei exemplum refert Cæsarius, lib. XI. cap. LVI. « In episcopatu Coloniensi duæ generationes rusticorum inimicitias mortales exercebant. Habebant autem duo capita, duos videlicet rusticos magnanimos ac superbos, qui semper nova bella suscitabant, suscitata fovebant, nullam fieri pacem permittentes. Divino igitur nutu factum est, ut ambo die morentur : et quia de una erant parcerent nomine Neuenkirchen, quia sic Domino placuit, qui per illos dissensionis malum ostendere voluit, in una fossa corpora eorum sunt posita. Mæa res et inaudita cunctis, qui aderant videntibus, corpora eadem dorsa verterunt ad invicem capitibus, calcibus ipsisque dorsis tam impetente collidentibus, ut caballos indomitos

putares. Mox unum extrahentes, remotius in alio sepulcro tumulaverunt, et facta est rixa eorumdem mortuorum causa pacis et concordie vivorum. »

IV. Quartus, est impietatis, quo infirmiores per vim et fraudem opprimuntur et spoliantur. Ignis hic appellari potest *devorans*, qualis erat Chaldæorum, devorans Judæos et substantiam eorum, Joelis II. *Sicut sonitus flammæ ignis devorantis stipulam*, quasi diceret : Sicut ignis stipulam comburens strepit et crepat ; sic strepent Chaldæi, cum arma Judææ instar stipularum arrodent et adurent, ut exponit Cornel. a Lap. Ignes ergo sunt tyranni, qui : *Devorant plebem Dei sicut escam panis*, Psalm. XIII. sicut equi Chaldæorum devorantes pascua et agros Judæorum, denique sicut ignis stipulam. Audiamus Ecclesiasticum, cap. XIII. *Venatio leonis onager in eremo, sic et pascua divitum sunt pauperes*, quasi dicat : Quod est onager leoni, hoc est pauper diviti et crudeli domino : pabulum videlicet obvium et nullo negotio parabile. Quam facile enim leo sternit onagram, tam facile dives pauperem, subditum præsertim. Quid facilius igni, quam, devorare stipulam aut ligna arida ? Potenti infirmum ? Ignis dum stipulam aut ligna vorat, strepit et crepat : ita et oppressores pauperum, nequaquam precibus aut verbis placidis, sed violentia et contentione agunt, minis et terrore, juxta id Proverb. XXVIII. *Leo rugiens et ursus esuriens, princeps impius populum pauperem*. Ad hæc, sicut pueri ignem ligna devorantem cum gaudio transiliunt : ita et tyranni, dum pauperes exosant, sibi applaudunt, nullo penitus habito Dei timore, nulla legis divinæ aut humanæ habitata ratione, sicut dicitur Prov. XIV. *Sapiens timet et declinat a malo ; stultus autem transilit et confidit*. Transilit, inquam, leges et jura, confidens nihil inde sibi eventurum mali, imo se dominaturum legibus ac legislatoribus. Verum quemadmodum ignis, ubi pabulum suum devoravit, et ipse tandem devoratur, atque in fumum primum, deinde in auram evanescit : ita et prædones illi ad extremum, ipsi quoque ab aliis devorantur, et qui oppresserant alios, opprimuntur. Cujus exemplum domesticum refert B. Petr. Dam. in ep. ad Guillam marchionissam, l. VII. ep. his verbis : « Ut autem hanc Domini sententiam non ex longinquo sed ex domestico potius adstruamus exemplo, socii tui Uguzonis scilicet marchionis uterinus frater fuit olim comes Hubertus : ejus uxor, dum in castro, quod Sciffena dicitur, habitaret, cuidam viduæ porcum tulit, eoque per coquorum industrias ad edulium præparato, pransura discubuit. Vidua vero qui victimam sibi



reddi jam sæpe rogaverat, sed ne hoc quidem, ut patienter audiretur, obtinere potuerat; mulieri solemniter convivanti, dolore transfixa, se mulieri obtulit, et ut tenue saltem frustulum de suo sibi nutrimento porrigeret, postulavit: Quia non merueram, inquit, de nutritio spei meæ consueto more gaudere, liceat saltem extremi gustum saporis attingere. Quam petitionem fluens atque superbiens matrona despexit: eique, Quia nunquam ex illo manducaret, non sine contumeliæ jurgio denunciavit. Sed, o divina justitia ad plectendam impietatem atque superbiam gladio semper ultionis accincta! eodem plane die post prandium, dum præfata comes in castrensis valli sederet secunda crepidine, et saginatis ex aliena calamitate visceribus, nullius ruinæ periculum formidaret; repentino mox subsecivio munitionis agger obruitur, et super infelicem mulierem immensa ruentis promotorii congeries cumulatur: perstreptentes undique phalanges hominum confluent, fossores accedunt, terræ viscera perscrutantur; et dum diversis ferramentorum generibus collapsa terræ moles hinc inde perfoditur, vix tenue contriti cadaveris vestigium reperitur. Ossium ergo artuumque particulas, quas non sine magni laboris instantia, ut ita loquar exsculpere potuerunt, sepulturæ tradiderunt. Sic dividi per frusta sui corporis meruit, qui frustum suinæ carnis petenti viduæ denegavit. »

Denique, qui pauperes devorant velut ignis, et ipsi aliquando ab igne devorantur. Ita testatur Isaias, c. IX. dicens: *Omnis violenta prædatio cum tumultu, et vestimentum mixtum sanguine (pauperum scilicet, expilatorum sanguine aspersum) erit in combustionem et cibus ignis.* Quomodo videlicet pauperes pascua et cibus eorum fuerunt, sic ipsi erunt pascua et cibus ignis tartarei. Non male huc alludit Ludovicus XII. Franciæ rex, qui dixit: *Credite: plebs et rustici sunt pascua tyrannorum, tyranni autem sunt pascua diabolorum,* Berl. in apoph. ex annal. Franc.

Vidimus quinam ignes et quanta hominum strage grassentur in hoc mundo, necnon quanto ipsorum grassantium periculo. Vos, auditores, fugite hos ignes, et non modo eos nolite excitare, sed potius, si potestis, conemini extinguere; aut si non potestis, ne prope quidem accedere: *Quod non accendisti, non ardebit in te,* ait angelus Furseo. At si peccata peccatis addere, si avaritiæ servire, si dissensiones excitare, si infirmos premere, et eorum bonis vos ditare velitis; quid, nisi ligna congeritis ad rogam excitandum, in quo ardeatis? Audite Isaiam, c. L. *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis ambulatis in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis, quasi*

diceret: *Quomodo ambulabitis in æterno igne? Et ut idem, c. XXXIII. dixit: Quis poterit habitare vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?*

## CONCIO IV.

IGNIS PURGATORII QUOMODO TRANSILIENDUS.

I Deponendæ sarcinæ. — II Impetus præripiendus. — III Nitendum baculo. — IV. Equus conscendendus indulgentiarum.

## THEMA.

*Exultavit in gaudio infans in utero meo.* Luc. 1.

Ubivis fere locorum hodierna die excitari solent ignes, et juvenculis transiliri. Unde hoc ortum sit, jam non disputo. Videtur mihi tamen originem Christianis dedisse saltus S. Joannis in utero matris ad Christi adventum editus; vel certe gaudium patris ejus in nativitate filii; cui dixerat angelus: *Erit gaudium tibi et exultatio.* Verum quidquid de hoc sit, saltus hic puerorum est et ludicrus. Video ego alium rogam ardentem, minime ludicrum, quem homines adulti sibi temere accendunt, necessario aliquando ab ipsis transiliendum, nisi magno labore adhibito, malint præterire, estque ignis purgatorii obsidens fores cæli, de quo S. Paulus, 1. Cor. III. *Ipsæ salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Quem quidem feliciter transiliit Joannes, ejusque parentes, transiliunt omnes parvuli baptizati et adulti innocentes: sed alii plerique eheu! incidunt in illum, tenenturque in eo, pro cuiusque merito. Ait etiam Dominus: *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Quid igitur? Estne modus aliquis transiliendi focum istum, ut ab eo non ruamur? Est sane et non unus, quos nunc proponemus: sed quia focus altus et latus est, vires intendendæ sunt, industriæ excogitandæ.

I. Qui transilire volunt, deponunt sarcinas, exuunt calceos, et quæ impediunt, vestes. Faciemus nos hoc primo, si per crebram confessionem, v. g. hebdomadariam aut saltem mensuram, deponamus peccata; alioquin: *Quanta erit peccati materia, tanta erit pertranseundi (purgatorium) mora,* S. Aug. homil. XVI. lib. L. homil. Neque solum gravia, sed etiam levia ac venialia, uti monet apostolus ad Hebr. XII. *Deponentes omne (ergo etiam leve ac veniale) pondus et circumstantes nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen,* quasi diceret: Sicut cursores expoliant se vestibus et impedimentis omnibus; sic nobis exuenda peccata omnia, si expedite et

sine retinaculo currere ad agonem mortis et cælum velimus. Peccata instar vestium nos cingunt et gravant, ac tenaciter nobis adherent, ideoque nisi crebra confessione deponantur, ignem in eo cursu et transultu, quem in morte faciemus ex hac in alteram vitam, concipient et urent nos. Vidi in fusoriis ferri officinis fabros ignitas ferre massas, nudos usque ad femoralia elaborare, quia si vel indusium vel alias vestes gererent, ignita ferramenta, quæ inter tundendum undique prosiliunt, eorum vestibus adhærescerent, sicque eos urent; at dum nudi sunt, minime adherent: ita ipsi nil patiuntur. Ergo volumus ignem istum transilire, ut nobis non adherat, nihilque damni afferat? Exuamus crebro vestes peccatorum, quorumcumque, quia hæ sunt, quæ flammam concipiunt aluntque. Certum est autem per injunctam et persolutam sacramentalem satisfactionem nostrique voluntariam confusionem, non solum culpas, sed etiam pœnas, graviorum etiam peccatorum, bona saltem ex parte deleri: hoc ni fallor est, quod anachoreta quidam interrogatus, quam potissimum viam ad cælum invenisset, respondit: *Si se homo semper accusasset,* apud Dorotheum, doctr. VII. Quod fiet eo certus, si se coram confessario accuset, quam si coram Deo solum: maxime, si sæpius et generali confessione.

Secundo, si deponamus etiam gladium, id est, appetitum et jus vindictæ, quod habemus, cum ab aliquo graviter læsi sumus. Hoc enim facientes, deponemus etiam delicta, quæ contraximus apud Deum; adeoque nil solvendum restabit. Dominus enim jussit nos orare: *Dimittet nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris:* et Luc. VII. *Dimittite, et dimittentur.* At qui nos pœnam dimittere proximis jubet (quia culpam ipse dimittit): ergo etiam promisit se pœnam nobis dimissurum, Hinc Stephano oranti pro inimicis, aperitur cælum: isque, effusa illa oratione, mox obdormit in Domino: *Felix somnus et requies vera. Ecce quid est requiescere pro inimicis orare,* ait Aug. serm. II. de S. Stephano. Requiem ergo quam precamur defunctis, ille obtinuit per orationem pro inimicis. Exempla volumus? Engelbertum episcopum Colon. in via a sicariis dum occideretur, orasse pro occisoribus suis: *Pater, ignosce illis;* ideoque ejus animam ab angelis susceptam et in cælum delatam, scribit Cæsarius Heisterbac, apud Sur. 7. nov. Ipse enim, cum pro eo exequiæ fierent, apparuit celebranti dicens, se in choro martyrum assumptum non egere illis precibus. Contra B. Hanno itidem Colonien. episcopus per injuriam ejectus a Colonien. episcopis, cum reos adhuc detineret et bona eo-

rum, non recipitur statim post mortem a sanctis in consessum, apud Sur. 4. dec. Quare, si inoffenso Deo fieri posset, debere sibi unusquisque optare multos inimicos, a quibus læsus esset, quia hoc esset habere multos debitores; quibus si parva debita dimittas, dimittentur tibi a Deo magna.

II. Præcursione impetum sibi imprimunt, ut magis procul saltent. Hac faciemus primo, si timeamus Deum offendere deliberate, seu dedita opera, etiam venialiter. Nam si ex ignorantia et inadvertentia labamur in venialia, vel ex fragilitate (quales lapsus enim viri timorati subinde committunt) spes est, habituros purgatorium leve, et forte solum privativum seu desiderii; quale admittit probabili sententia Bellarminus tractans de purgatorio, p. Crombecius, de stud. perfect. et ostendere videntur historiæ quadam probatæ: una Drithelini, apud v. Bedam, alia apud D. Gregor. libr. IV. dial. alia apud Dion. Carthusianum, tr. de purgat. Quale etiam fuisse videtur S. Hugonis abb. Cluniac. qui per triduum in vinea detentus sedisse, velut ex itinere fatigatus, dum resumeret vires, et pedum pulverem abstergeret, scribitur apud Sur. 29. apr.

Secundo si potius pœnas purgatorii præ oculis habeamus ac deprecemur. Ratio esse videtur, quia sic videmur purgatorii timore juam luere, ex parte saltem pœnas, quas meruimus, partim exaudiendi esse in nostris precibus. Ad hæc facit, quod Hadrianus Junius, de crinib. c. X. scribit Osorium Diego Hispanum incarcerationum et morti addictum, cum ejus rei certior fieret, una illa nocte juvenem totum incamuisse, ac proinde vita donatum, eo quod mortem jam gustasse censebatur.

Qui ergo pœnas illas sedulo præ oculis habent, jam eas delibare judicantur: quemadmodum fecerunt viri sancti, Hilarion et Barlaam; ut de illo Hieronymus, de hoc refert Damascenus, in vita Josaphat et Barlaam. Hic enim morti proximus petiit preces Josaphati: *Vereor enim,* inquit, *ne tenebrosorum dæmonum agmen animo meo propter ignorantiarum mearum multitudinem impedimentum afferat.* Qui postridie mortis gloriosus ei apparuit. Sic patriarcha Jacob valde timendo occursum fratris sui Esau, meretur eum reperire placatum, Gen. XXXIII. Sed quæ nostra est miseria? Perfecti viri plerumque timent purgatorium, peccatores vero graves non timent: qui quam maxime habent, non timent.

III. Baculo nixi saltum faciunt, de quod id Ps. XXII. possumus intelligere: *Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es: virga tua et baculus tuus ipsa me conso-*